

facientes, contemnebant eandem; « ejus explicatio lionem nec petere, nec audire volebant. » Porro sæpenumero Deus permittit, ut multi cœlestia mysteria, quæ eis ex solo misericordie ejus motivo annuntiantur, non intelligant: « Ne majus eis pro-
« judicium generetur, » inquit Theophylactus, « si
« postquam voverint Christi mysteria, contempse-
« rint; qui enim intelligit et postea spernit, gravior
« punietur. »

6. — Lucas Brugensis, in *Matth.*, per illos, quibus hujus parabolæ intelligentia occultata fuit, turbam et alios omnes intelligit: « Cujus pars longe
« major, non habet aures ad audiendum, eorum
« enim alii non desiderant Dei verbum ex me au-
« dire, sed videre prodigia, alii curiose tantum
« cognoscere cupiunt, quid dicam, auditaque ne-
« gligunt, nec curant intelligere; alii contemnunt,
« atque etiam irridunt; quidam scientes prudentes
« calumniantur, » pauci admodum sæpe sunt in
aliquo magno auditorio, qui vere, animo ex verbo
Dei proficiendi, ad illud accesserunt.

7. — Glossa observationem quamdam instituit ex textu S. Marci, qui eandem parabolam recenset, desumptam. Circa hæc enim Evangelistæ illius verba: *Et cum esset singularis, interrogaverunt eum quæ cum eo erant duodecim, parabolam, ita scribit: « In quo moraliter instruiamur, ut, si intelli-
« gentiam divinorum verborum assequi volumus,
« sepositis terrenorum tumultuum curis, domum
« Dei, id est, ocella Scripturæ penetralia orando
« et meditando intremus. »*

8. — Hugo Cardinalis rationem reddit, cur increata et incarnata Patris Sapientia parabolam istam Apostolis exponere et declarare dignata fuerit: « Ut se mystice loqui ostenderet et mystice
« exponendi Scripturas exemplum daret. »

Additio.

a. — *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis ut videntes non videant, etc.* Ecce ruina illorum qui nihil spirituale requirunt, sed totos sese mundo et hisce temporalibus bonis tradunt; hi quidem videntes non vident, et audientes non intelligunt. Et unde provenit quod sub eadem luce adhuc cæci maneant? Sane ea est malitia mundanorum, qui sic affectu temporalitatis implentur ut inde magis obturentur, ne videant, quando illis majora dantur æternitatis lumina. Quisquis enim mundo per affectum suum nimium est immersus, ab omni lumine et cognitione Dei est alienus. O quanta majori equidem cum facilitate, alas suas anima nostra cœlum versus elevarit, nisi horum transitoriorum bonorum deprimeretur affectu, tanquam ingenti mole et pondere! « Amor rerum terrenarum, » inquit S. Augustinus, *Serm. xiii de Verb. Dom.* « viscum est
« spiritualium pennarum. Ecce concupisti? Hæ-

« sisti. » Animæ nostræ centrum est Deus; immo-
deratus vero creaturaturum affectus omnem nostrum
erga Creatorem abolet amorem. Ideoque S. Philip-
pus Neriis frequenter dicere solebat, quod quantum
amoris creaturis tribuitur, tantumdem Creatori
auferatur. Quod gravissimum animæ nostræ præ-
judicium ut caute præveniamus, S. Ambrosius, *lib. III Hexam.*, xii, nos præmonet dicens: « Nil
« magis mentem onerat quam istius mundi sollici-
« tudo et cupiditas, vel pecunie, vel potentie: «
« quod tibi demonstratur in Evangelio, cum legis
« quia illa mulier, quæ habebat spiritum infirmi-
« latis, inclinata erat, ut sursum respicere non
« posset. Curvata enim erat anima ejus quæ incli-
« nabatur ad terrena compendia, et cœlestem
« gratiam non videbat. Respexit eam Jesus, et
« vocavit. Et statim mulier onera terrena deposuit.
« His cupiditatibus etiam illos oneratos fuisse
« demonstrat, quibus ait: *Venite ad me omnes qui
« laboratis et onerati estis.* » Postquam S. Petrus
omnium Apostolorum nomine protestatus fuisset,
dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia, ingens sibi
omnes lumen ad cognoscendum Christum, et bona
cœlestia acceperunt.*

VERBUS 12.

*Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei.
Est autem hæc parabola.*

1. — S. Hieronymus, in *Matth.*, xv, inquit: « Observa hanc esse primam parabolam, quæ cum
« interpretatione sua posita sit et cavendum est,
« ubicumque Dominus exponit sermones suos et
« rogatus a discipulis disserit, ne vel aliud, vel
« plus velimus intelligere, quam ab eo expositum
« est. » *Deuteronom.*, iv, 2, legitur: *Non addetis ad
verbum quod vobis loquor; non auferetis ab eo.* *Job*,
xxix, 22, inquit: *Verbis meis addere nihil audebunt.*
Proverb., xxx, 6, Sapiens quoque monet: *Ne addas
quidquam verbis illius et arguaris.* « Ideo nullus
« expositorum, » inquit Glossa ibidem, « ausus est
« manum apponere, ut aliquid adderet dominicæ
« expositioni; quia ipse Dominus eam exposuit. »

Semen est verbum Dei.

2. — S. Bonaventura ait: « Quia per illud re-
« nascimur, ut flamus sancti et divini, voluntarie
« enim genui nos verbo veritatis. »

3. — Lucas Brugensis, *ibid.*, textum hunc de
illo Dei verbo, quod annuntiat, intelligendum
esse dicit: « Sermo a Deo profectus, quem Deus
« vult hominibus ad ipsorum salutem, bestiatem-
« que prædicatum. » Potestque tam de verbo di-
vino, quod ad aures nostras aditum habet, intelli-
gi, quam de illo, quod cordibus nostris insinatur, cu-
jusmodi sunt inspirationes internæ. Porro semen
istud, quod in oculis nostris non videtur aut appa-
ret, cœlestis Agricola seminat interius; vel per

orationem, vel per lectionem spiritualem, vel præ-
dicationem, aut bona exempla, vel per alia salu-
taria monita et documenta, qualia a superioribus,
Patribus spiritualibus, aliisque similibus submini-
strari solent. Et quidem cœlestis illud semen, in
tribus animæ potentis seminat, in memoria per
rememorationem ponarum æternarum, gloria Para-
disi, brevitatis vite, severitatis judicii et horro-
ris in morte subundi. In intellectu illustrationes et
lumina cœlestia seminat, per quæ æternas nobis
veritates manifestat, unde in nobis bona et sancta
derivatur proposita remorsus conscientie, sive
synderesis et sanctus et innocens timor Dei. Deni-
que in voluntate, sancta seminat desideria et affectus,
quibuscum in nobis ignem accendit amoris
erga Deum et charitatis erga proximum.

4. — Enimvero ex quo verbum Dei, ab ipsomet
Dei Filio, semini comparatur; haud abs re erit,
aliquas hujuscæ comparationis analogias in medium
adducere. *Primo* igitur, non sufficit seminare et
semen per diligentem culturam terræ committere,
nisi etiam cœlum super illud benignas influentias
immittat: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui
rigat, sed qui incrementum dat Deus,* dicit Apostolus,
I Cor., iii, 7. Et S. Augustinus ait: « Cathedram in
« cœlo habet, qui corda docet. » Opus enim est, ut
Deus auditorum corda tangat et aperiat, si labor
verbum Dei annuntiantis fructum ferre debeat. Et
hinc est, quod tametsi Paulus tuba fuerit sonora
Spiritus Sancti, nihilominus tamen eo prædicante,
ut S. Lucas, *Act. Ap.*, xvi, 14, de Lydia tractans
scribit: *Cujus Dominus aperuit cor intendere his,*
quæ dicebantur a Paulo. *Secunda* analogia est in
ordine ad necessitatem verbi Dei; etenim homo
sine vino, oleo, aliisque similibus fructibus vivere
potest, difficulter autem vitam longo tempore tran-
sigrere potest sine semine, ut panem sibi faciat:
unde semen vocatur in Scriptura: *Firmamentum
panis,* Isaias, lv, 10, ait: *Dat semen serenti et panem
comedenti, sic erit verbum meum.* Et S. Jacobus:
Suscipite insitum verbum. Sed quo fructu id fiet?
Quod potest salvare animas vestras. Væ animabus
temporalis saluti, ubi hæc destitute fuerint sub-
sidio verbi Dei. *Tertio*, semen fructum nullum pro-
ducit, nisi super terram dispersum fuerit, « sic nec
« verbum, nisi in corde susceptum, » inquit Jan-
senius, *cap. ii*, « nihil enim profuerit, illud vel
« auribus tantum suscepisse. » Et hinc est, quod
Christo non sufficere dixisse: *Beati, qui audiunt
verbum Dei, sed protinus adjunxit: et custodiunt
illud.* *Quarto*, semen, ut fructificet super terram,
seminatur, non super tecta, aut arbores, per quod
salutare quoddam ministris Evangelicis suggeritur
monitum, quod scilicet illis non sit ambulandum in
magnis, aut super arborum cacumina, per nimium
sublimes discursus, quos ingenii ostentandi gratia
explicant, sed procedendum illis esse stylo plano,

facili, morali, et spheræ capacitatis accommodata.
Non alta sapientes, sed humilibus consentientes;
quem prædicantium errorem Gilbertus Abbas, *Serm.*
xvii in Cant., his verbis reprehendit: « Student
« magis alta, quam apta dicere, facientes apud in-
« firmas intelligentias, miraculum sui, non ipso-
« rum salutem operantes. » *Quinto*, sicut terra a
semelipsa, nisi seminetur, non nisi lolla, sentes,
spinas, urticas et alias similes inutiles herbas pro-
ducit: « Ita cor hominis, nisi semine divino semi-
« natum fuerit, » inquit Jansenius, « notia saltem
« profert, aut saltem inutilia et sterilia. » *Sexto*,
semen non subito, ut terræ mandatam est, ger-
minat et fructum profert, sed prius sub terra mori
et putrefieri debet et suo tempore fructificat: ita
verbum Dei in multis cordibus ut plurimum, non
subito effectus suos producit, sed postquam rumi-
natum et meditatione subactum est, admirabiles
suo tempore et loco mutationes facit. *Septimo*, se-
men super terram sparatum, ad hoc ut fructificet,
necessario agrum invenire debet, ligone vel aratro
debite cultivatum: « Ita ut cor hominis, » inquit
Jansenius « intra se recipiat verbum Dei, ac sit ab
« omnibus vitis purgatum, cultura non parva opus
« est. » *Octavo*, observandum est, quod idemmet
granum, quod agricola in agro seminat, formica
quoque in eodem agro abscondit et occultet et
tamen solum illud, non vero hoc fructum affert; et
ratio est, quia formica apicem et velut cor grani
rodit, ut germinare deinceps non possit; quæ
eadem causa est, cur tametsi cœlestis hoc semen
tantam in se efficaciam habeat, in multis tamen
fructum, qui alienus momenti sit, minime produ-
cat, idque partim culpa prædicantium, partim vero
ex auscultantium defectu, quia scilicet ambo vim
et efficaciam, quam alas habiturum esset, fructifi-
candi eidem auferunt, dum scilicet prædicatores
illud annuntiant propter certos humanos respectus
applausu vani, vel interesse aut lucri, vel dum au-
ditores illo abutuntur, sive ex sola curiositate illud
auscultant, sive auscultatum censuris suis taxando
aut contemdero. *Nono*, inter verbum Dei et se-
men, hæc quoque notari potest differentia; quia
semen priusquam fructificet, in terra quodam
formam accipit et perditur, licet totam suam sub-
stantiam in germinem influat; unde Salvator noster
ait, *Joan.*, xi, 24: *Nisi granum frumenti cadens in
terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet,* non
tamen idem sit in generatione spirituali, quam se-
men hoc cœlestis producit. Unde S. Petrus, *I Ep.*, i,
23, ait: *Renati non ex semine corruptibili, sed incor-
ruptibili per verbum Dei vivi, permanentis in æter-
num.* Et ideo quoque S. Hilarius, in *cap. iv Math.*,
ministris Evangelicis hoc epitheto decoravit:
« Aternitatis satores, immortalitatem omnibus cor-
« poribus, quibus eorum sermo aspersus fuerit,
« conferentes. »

Additio.

a. — *Semen est verbum Dei.* Inter multa et varia instrumenta, quibus Deus salutem nostram operatur, non infimum locum tenet ministerium verbi ejus. Verbum enim Dei Deo simillimum est. Sicut enim Deus omnipotens est, ita sermo ejus potestate plenus est: verbum enim Dei, quemadmodum Deus ipse suscitavit mortuos, regenerat vivos, sanat aegros, conservat sanos, oblectat pios, revocat impios, illuminat cæcos, accendit tepidos, confortat debiles, desperantes confirmat. Hæc igitur nullis variisque verbum Dei titulis vocatur, propter varios, quos habet effectus. Hinc dicitur lumen, panis, manna, semen, propter varias similitudines. Psalmista, cxviii, 103, non sufficit dixisse: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, sed protinus addit: Et lumen semitis meis.* S. Bernardus, *Serm. v in D. I. Quadr.*, inquit: « Cum homo consistat ex corpore et anima, duplici cibo illi opus est, pane scilicet materiali pro cibo corporis, et pane spirituali, scilicet verbo Dei, pro cibo animæ. Et ideo Christus singula singulis attribuendo ait: *Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei, qui est dulcis et spiritualis gustui hominis.* » S. Antonius de Padua ait: « Sicut panis materialis est cibus corporis, ita spiritualis panis, vel divinus sermo, est cibus mentis. » D. Chrysostomus in sermone quodam in hæc verba prædicavit: « Apud nos homo est, non is tantum qui pane vescitur, sed qui prius quam de ullo cibo divinis ac spiritualibus eloquiis perfruatur. » Hoc autem hominem esse discite ex his quæ Christus effatus est: *Non in solo pane, etc.* » Et vero verbum Dei panis quidem est, sed celestis. Ac prout ad S. Augustino manna assimilatur, dum ait: « Manna verbum Dei esse dicitis? Verum est fratres. »

VERSUS 13.

Qui autem secus viam, hi sunt qui audierunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

1. — Enimvero si sane Salvatoris expositionem presentibus bacchanaliorum diebus vanis applicare volumus, dicere possumus, per illos, quibus volucres rapaces pretiosum hoc semen de cordis agro abstulerunt, eos intelligi, qui hisce diebus prorsus dissolute vivunt, qui plateas et fora frequentant, choreis aut lascivis comædiis assistunt, ubi perditur spiritus ille, illa devotio et mentis recollectio, bona denique illa proposita evanescent, quæ sibi antea, verbum Dei auscultando, fecerant: *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* *Osc.*, ii, 14.

2. — Ex quo dæmon in volucere vorace et prædatrice, verbum autem Dei in semine figuratur; hinc dæmon eadem cum industria, verbo Dei ab anima

nostris deprædando, insidiatur, quo volucres rapaces seminibus in terram jactis insidiari solent, et ideo mox ut dæmon celeste hoc semen ab anima aliqua conceptum esse videt, idipsum eidem eripere omni conatu nititur, idque pluribus adimplet. Advertendum est igitur, quod Salvator dicat: *Tollit verbum de corde eorum, non de auribus, sed de corde, quia postquam illud ab homine devote est auscultatum, omni studio impedire satagit, ne illud ruminetur.* Christus electos suos ovium nomine appellat, eosque verbum suum diligenter auscultare dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt et ego vitam æternam do eis;* quæ profecto comparatio non caret mysterio, siquidem animalia ista hoc sibi proprium habent, quod pabulum semel ingestum iterato ruminent. De sanctissima Virgine pariter scribitur, *Luc.*, ii, 19: *Conserubat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Præterea Salvator noster eodem in loco subjungit: *Tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Dæmon enim ad hoc committitur, ut verbo Dei omnem fidem et credulitatem auferat, quod efficit, vel nobis ingerendo contemptum personæ illius, quæ illud annuntiat, vel etiam efficiendo, ut veritati illius non credatur; eo quod promissionum vel comminationum, quæ in illo exprimitur, effectus non subito percipiuntur, vel denique ne homo consideret Deum esse, qui in ministris suis vere loquitur: *Qui vos audit, me audit.* Nam ut Lucas Brugensis ait: « Metus diaboli, ne, si diutius sinatur verbum Dei duro corde superjacere, tandem suo pondere perfringat duritiam, illoque intra cor suscepto, salvi fiant ad penitentiam. »

3. — Multi quidem, ut quotidiana probat experientia, aures suas verbo Dei porrigunt, at vero dum nos dormimus, verbum Dei exequi negligimus, inimicus superveniens zizania supereminat, ne semen receptum fructum edat: memoriam, intellectum, et cor hominis, affectibus et curis temporalibus distorquet, seu etiam hominem lascivis et profanis comædiis, curiosorum vel obscenorum librorum lectione divertit, ut hæc ratione celeste illud semen in nobis suffocet.

Additiones.

a. — *Qui autem secus viam, hi sunt qui audierunt; deinde venit diabolus, etc.* Non sine mysterio omnes tres Evangeliste posuerunt illud verbum, venit, ut denotetur, quod extra nos est. Et etiam venire dicitur quia ipse homo ministrat ei multas occasiones tentandi et peccandi, ut veniat. Unde S. Augustinus, *Serm. cvii*, dicit: « Habet cupiditatem non cendi, facultatem autem, nominis quæ datur. » Etenim sine consensu nostro in perniciem nostram nil potest aut valet. Unde idem S. Augustinus, *Serm. cvii de Temp.*, ait: « In tua voluntate est, si volueris, inimicum tuum facere servam tuam. »

Cui consonat sententia illa S. Ambrosii dicentis: « Accepti quidem tentandi licentiam, sed non accepti copiam subruendi, nisi sua sponte labatur infirmus affectus. »

b. — Matheus, loco *tollit verbum*, posuit *rupit omne*, quod denotat violentiam et tyrannidem, quam inimicus exercet. Nam quod variis modis nos tentet, hoc totum eo fine facit, ne credentes per fidem salutem consequantur, sed ut tyrannide sua perdat.

c. — Diligenter perpendit Evangelista, quod non ait Dominus, dæmonem auferre verbum ab intellectu, vel a sensibus: parum enim refert diabolo quod verbum divinum per aures ingrediatur, lingua proferatur et intellectu imaginetur, nisi radicitus cordi per affectum affluxit sit. Sæpe potius homini illud in memoriam revocat, ut gravius delinquat. Sic cum vellet Evam decipere, illi in mentem revocavit præceptum Domini, dicens: *Cur præcepit vobis Dominus, etc.*, ne forte postea ignorantiam, oblivionemque præterderet. Itaque quod maxime intendit, est verbum auferre, et auferre ne diu in corde maneat et ejus amore homo capiatur. Sic odio illud prosequitur, utpote quæ vulneratur, nos vero defendimur. Probe sciens verbum Dei præcipuum esse salutis nostre subsidium et instrumentum, dicente Jacobo, i, 11: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras, omnem movet lapidem, ut nos a verbo Dei audiendo, vel custodiendo et exequendo impediatur.*

VERSUS 14.

Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum Dei, et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

1. — S. Bonaventura, in *Luc.*, hosce una ex parte laude dignos esse dicit, qui verbum Dei cum aviditate auscultant: *Cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum*, sicutque de numero eorum, de quibus Scriptura dicit: *Susciperunt verbum cum omni auditione, quotidie scrutantes Scripturas:* « Sed tamen in hoc sunt reprehensibiles, » inquit, « quia non solum audierunt, » et ideo non mittit radices, « in anima, radices nos habent, id est, firmitatem. »

2. — Glossa predictis verbis aliam adhibet expositionem, dum ait: « Multi audientes disputationem contra avaritiam, vel superbiam, dicunt contemptores sæculi, et castos homines esse beatos, sed ubi species concupiscibiles eorum obtutibus præsentantur, mox recedit ab eis, quidquid recte cogitaverant. » Multi quidem inveniuntur, quia quoadusque verbum Dei in Ecclesia auscultant, in quo præcipitem et dissolutum mandati et bacchanaliorum torrentem fugere moventur, veritatem au-

ditam omnino persuasum esse fatentur: at vero dum vix Ecclesiam egressi, in sodales suos pristinos incidunt, qui illos ad illicita objecta invitant, a bonis suis propositis subito iterum dimoveant. Habemus causam in terminis, ut dicit solet, in persona Herodis Ascalonite, qui S. Joannem Baptistam libenter audiebat, imo auditio eo multa faciebat: « sed radices non habuit, ad tempus credidit et in tempore tentationis recessit; » siquidem caput ejus a busto amputari fecit; porro tempus tentationis in eo consistebat, quod etiam auditio Joanne, Herodiadem adulteram nihilominus penes se retinebat, ejusque filie saltibus, choreis et tripudiis, nec non conviviis sumptuosis sese oblectari pergebat: *Fecit cenam magnam;* hæc namque sunt fere præcipua magis motiva, quibus inimicus infernalis ad seminis hujus fructum nobis eripiendum uti communiter solet: *Vinum et mulieres apostature faciunt sapientes.* *Ecc.*, xix, 2.

3. — Observandum quoque est, quod multi inveniuntur, qui eadem cum facilitate, quæ bona faciunt, vicissim ad mala facienda seducuntur, quia firmitate et habituali in virtutibus persistentia carent: *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt,* qui nimirum ejusdem sunt indolis, cujusmodi a Psalmista illis verus indicatur, *Psal. xvii, 26: Cum sancto sanctus eris, cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perverteris.* Multi sunt, qui hisce diebus ad malum in tantum propendunt, in quantum torrentem aliorum hominum vident, idem perpetrantium, quibus tamen, si res occasio bene faciendi, ad boni exempli offerat, eandem quoque non negligunt. S. Carolus occasione illarum devotionum, quas, pro hoc tempore carnispræviæ, in urbem Mediolanensem introduxerat, dicere solebat, exemplum bonorum efficacius semper esse ad invitandos et promovendos ad minus illos qui totaliter mali non sunt, qui proinde bonos, in sanctis occupationibus positos, videntes, vel ad idem faciendum exstimulabantur, vel saltem de eo, quod utile bonorum exemplum in actionibus publicis non sequantur, in semetipsis erubescunt.

In tempore tentationis recedunt.

4. — Enim vero hoc tempus tentationis dici potest, longe spiritualis in hisce lubricis et dissolutis diebus, quam in aliis, qui per totum annum decurrunt, inveniri; quia tametsi verum sit, quod *tentatio sit vitæ hominis super terram*, nihilominus magnus ille Dei servus Joannes Baptista de Fulgino, qui suo sæculo bacchanalia in patria sua in quamdam vel septimanam sanctam transmutavit, bacchanalia, dæmonis vindemiam appellare solebat. Hisce igitur diebus, plus quam alias inquam adimpletur textus ille Apocalypcius, xii, 12: *Descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quoniam modicum tempus habet.* Ipse enim nunc to-

tum infernum adversum fideles relaxare videtur, ut illos in illorum perniciem procurandam adigat, sciens quoniam ad id faciendum modicum tempus reliquum habeat, eo quod paucos post dies superventura sit Quadragesima, solemne et bellum indicens: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Dicit, sodes, quoniam precipue tempore populus Ipe in horrendum illud idololatrie sedes prolapsus est, demonem in lascivo quodam vitulo, loco Dei sui, adorando: *Quoniam omnes Dei gentium demonia?* tunc nimirum, quando bacchanalium more vivere cœperunt: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, id est, choreis, saltibus, tripudiis, epulis, aliisque similibus inhonestatibus dedit esse. Porro quibus mediis dæmon efficere possit, ut celestis agricolæ semen pretiosum nullas in nobis radices agat, sed zizania potius radicentur, quæ ipse seminavit, Chrysostomus his verbis demonstrat: « Si citharedus vel saltator nos vocaverit, omnes quidem currunt cum studio et gratiam ei de vocatione sciunt, et diei integri dimidiam partem consumunt, illi soli attendentes; Deo vero per Prophetas et Apostolos loquente oscitamus, scalpinus, et multus æstus videtur esse. »

VERSUS 15.

Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audiunt, et a curatidinis, et divitiis, et voluptatibus vite euntes suffocantur, et non referunt fructum.

1. — Theophylactus, in *Luc.*, observat, Evangelistam non dicere, quod a divitiis suffocati fuerint, sed a sollicitudinibus et anxietatibus, illarum occasione exortientibus: « Non dicit, quod præ divitiis suffocentur, sed præ crisi divitiarum et sollicitudinis: non enim divitiæ nocent, sed sollicitudines earum. » Etenim experientia teste liquet, quod si quis spinas in aperta manu teneat, nihil ab earum puncturis patitur; at vero si eas intra contractum pugnum stringere velit, lesiones et puncturas non evadet; eodem quoque modo, divitiæ in manu liberali et aperta, nocivæ non sunt, sed solum in manu contracta in pugnum et avara.

2. — Enimvero quoniam fine multos in mundo divites esse voluerit, Salvianus, *lib. I ad Eccl.*, enucleate satis exponit, dum ait: « Ut Dei opes, quas habent in seculo temporarias, bene utendo faciant sempiternas, si agnoscentes munera Dei, duplici bono gaudeant, cum, qui sunt divites in hoc sæculo, esse quoque divites mereantur in cœlo. » Spinæ vestes nostras in tantum lacerant, nosque pungunt, in quantum illis justo vicinior approximamus; ita quoque nimia cordis nostri ad illas adhesio atque conjunctio, sola est que nos damnat et condemnat. S. Ambrosius illum S. Pauli, *I Tim.*, vi, 9, l. VI de bono mor., textum examinans: *Qui voluit divites fieri incidunt in laqueum diaboli,*

et desideria multa et inutilia, et nociva, quæ mergunt hominem in interitum, ita scribit: « Laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore, » id quod perfecte cum eo concordat, quod etiam S. Bonaventura, *Ser. II in Dom. II post Epiph.*, advertit, dum ait: « Creatura non ob aliud periculosa amatori, nisi quia præponitur Creatori. »

3. — S. Gregorius in Homilia hodie ad Matutinum lecta, ait: « Quis mihi unquam crederet, si spinas divitiis interpretari voluissem, maxime cum illæ pungant, istæ delectent; et tamen spinæ sunt, quæ cogitationum suarum punctioibus mentem lacerant et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. » Chrysostomus avari anxietatem ponderans, cor ejus non spinis transfusum, sed a finis corrosus esse, dixit: « Si intueri volueris animam hominis avari amantis, invenies eam ut vestimentum a decem millibus vernium corrosam, ita eam perforatam a undique a sollicitudinibus. » S. Ambrosius divitis illius inquietudini intime compatitur, qui nullam poterat captare requiem, eo quod ubinam messem suam sub tecto reponeret, ignorare: « Quis lalem a non miseretur? Angustatur abundantia, constringitur et coarctatur ex opulentia, ager ei non tam redditus largiores, quam gemitus attulit graviores; terra ei non fructum copiam, sed curarum molestiam germinavit. »

4. — Spinæ nostras ad se vestes attrahant, easdemque, nisi illis cedamus, omnino lacerant; divites avari per contractus suos illicitos, per usuras, per lites injustas, aliosque mille modos et inventiones, alienas sibi attrahunt facultates, neque alio modo locupletantur, nisi spoliando alios; in cuius figuram de Samsone scribitur, *Jud.*, xiv, 19, quod cum illam triginta vestium sponsonem fecisset, totidem Philistæos in una strage cæciderit eosque spoliavit; non quod unde vestes illas solveret, non haberet, sed ut nobis per hoc insinuaret, quod mundus neminem locupletare possit, quin alium rebus et facultate sua exuat, siquidem hereditas aliqua ad hunc per illius mortem devolvitur.

5. — Sub spinis multa latitant animalia venenosa et ideo Didacus Stella ait: « Sicut spineta e suapte natura latibula omnium reptilium, venenosa et natorumque omnium animalium confugium sunt, » ita divitiæ vitiorum sunt receptaculum et sedes. Unde S. Paulinus, *Epis.*, II, de avaritia ita scribit: « Quæ una omnibus armata criminibus; vel si sola nos capiat, et zabulo ad malitiam, et homini ad mortem sufficit. »

6. — S. Bonaventura, in *Luc.*, ait: « Merito divitiæ comparantur spinis, tum quia fructum non afferunt, tum quia fructum impediunt, tum etiam, quia habentem affligunt, secundum illud: *Peccatori autem dedit afflictionem et curam super-*

fluam, ut addat et congreget; saturitas divitis non sinit eum dormire, unde quasi super spinas jacet. »

7. — Spinæ dum nos pungunt, dolorem quoque nobis afferunt, eumque semper majorem, quando intra vulnus tenaciter persistunt; longe autem acerbiorum dolorem accesserunt, dum inde eximuntur; ita quoque de bonis terrenis dicere possumus. Unde Beda ait: « Divitiæ etsi delectare videantur, tamen possessoribus suis spina sunt, quia cogitationum suarum punctioibus mentem lacerant, quæ avidè quæruntur et sollicitè servantur. » Salmeron, *tom. VII, tract. IV*, quoque hæc avarorum puncturas considerat, dum ait: « Spina crucians cogitatio est comparandi divitiis, labor in illis angendis et cumulandis, timor in illis amittendis, dolor in eis expendendis. »

8. — Spinæ utpote et semetipsis infructuosæ, non valent, ut aliæ arbores solent, ut inde fiant ligna ad laborandam, sed solum ad combustionem serviunt; verum quidem, quod per nostram industriam sæpe adhibeantur ad sepes faciendas, quibus medianibus vineæ, horti, viridaria, prata et agri custodiuntur, ne aliquod illis a latronibus, feris, vel aliis animalibus nocumentum inferri possit; ita quoque de divitiis dicere possumus, quod ex seipsis nil aliud habeant, quam « mergunt hominem in interitum et perditionem, » nihilominus ei, qui illas utiliter secundum Evangelicæ legis directionem erogare novit, scale loco inseruiunt, per quam descendere possit ad colium. Unde S. Ambrosius, in *Luc.*, de Zachæo ita scribit: « Discant non in facultatibus crimen hæerere, sed in iis, qui uti nesciunt facultatibus; nam divitiæ ut impediunt improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis. »

9. — Verum quidem est, quod e spineto rose progerminare soleant, at vero hæc cito nimis marcescunt et pereunt, spinæ vero e contra semper remanent; ita quoque lametsi avari aliqualem in divitiarum suarum possessione satisfactionem habeant, sollicitudines tamen et anxietates, quas ab illis patiuntur, longe magis abundant, cum verissimum semper sit, quod scribit S. Augustinus, *Ser. xv de divers.*: « Omnis terrena possessio supplicium est cupiditatis, ut in ipsis bonis crucietur animus, cui vilit, qui tanta largitur. »

Et voluptatibus vite euntes suffocantur et non referunt fructum.

10. — S. Bonaventura verbum *suffocantur*, ita declarat: « Id est, vitam spiritualem perdunt, » quia nullum vitium, quod spiritum et devotionem in nobis magis evacuet, quam carnalis voluptas. Unde de lascivis licentiosisque illis hominibus, qui diluvi tempore vivebant, Deus dicebat, *Gen.*, vi, 3: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro*

est; omnes enim erant edentes, et bibentes, et nuptui tradentes; et ideo Spiritus Sanctus illis dicebat: *Videns Deus, quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*; ubi Glossa ait: « Quia voluptates suis importunis cogitationibus, guttur mentis, ne bonum desiderium ad cor possit penetrare, quasi aditum vitalis strangulant flatus. »

11. — Chrysostomus rationem reddit, cor voluptates et deliciae afficiunt, in spinis symbolice representantur: « Ne mireris, si nomine spinarum delicias appellavit, acerbissimos dolores tam animæ quam corpori inferentes; » quod quidem quoad animam extra omne dubium est, siquidem remorsibus et puncturis mortalibus conscientias transigunt, quod corpus vero atinet, quis illud neget? cum id ipsum experientia quotidiana demonstret: « Quemadmodum acuti vepres unde cumque capiuntur et constringuntur, manus cruentant; eodem modo deliciae pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris afficiunt. » Quot sunt, qui propter convivia et crapulas, hoc bacchanalium tempore fieri solitas, item propter larvas, hastiludia, comedias, aliasque lascivias et inordinationes, doloribus se et infirmitatibus incruentibus subjiciunt? S. Augustinus considerat, quod spinarum radices teneræ sint et delicate, nec quidquam pungant: « Quid delicatus? quid lenis? sperares de hac lenitate truces gladio? si qui eas contractet, non pungitur, sed quo pungitur, inde nascitur; voluptates et deliciae in ipso actu, quo illis fruimur, delectant, non dolent, sed subito. » quo pungitur, inde nascitur, quoniam qui illis gaudet, ut plurimum sanitatis, vite, reputationis et fame et infallibiliter anime perdat periculis se exponit. Unde S. Ambrosius, *Ep. XLII ad Sabina.*, de voluptatibus ita scribit: « Venenum in dentibus habet, quibus unusquisque se eviscerat luxuriosis, helleo internect, abligatur perimit; quantos rupevit una, dissolvit ebrietas, distendit cruditas? »

12. — Punctura est acerbissima, qua peccatum, quod committitur, cor hominis christiani transigit. Unde Chrysostomus, in *Ps. xc*, ait: « Quicumque peccaverit, quasi ericius est, plenus spinis. » Dissoluti illi juvenes apud Sapientem, II, 8, sese conjunxerant ad invicem, ut tempora sua rose coronarent: *Coronemus nos rosas, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*; at vero advertendum est, quod prolixa per rosas, spinarum quoque experti fuerint puncturas, siquidem inter se conveniant dicentes: *Opprimamus pauperem, justum circumveniamus, red-duntque rationem, quoniam contrarius est operibus nostris*. Quamvis apparentia exteriori omnino oppositum fieri videatur, siquidem justii judicia habent, malorum opinionibus omnino contraria, visque

omnino diversis ambulant, ideoque eos in via larga lasciviarum et dissolutionum ipsorum, impedire non possunt; et tamen bonum iustorum exemplum, virtusque et sanctitas ipsorum, malis est velut spina transversa in corde et velut festuca in oculis: *Improperat nobis peccata legis et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae*. Tacita enim censura quaedam et improprium malis esse videtur, innocens et exemplaris vita iustorum, quia continuo cruciantur timore, ne redarguantur, aut accensur, etc.

13. — Spina quidem rosas progeminare facit, sed tales quae et mane ad vesperam usque protinus marcescunt. Unde S. Basilius, *Hom. de Parad.*, ita scribit: « Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit; nam quotiescumque florem hunc video, peccati mei admoner, propter quod terra, et ut spinas ac tribulos proferret, condemnata est; » imo spina rose conjuncta non solum nobis peccatum ad memoriam reducit, verum etiam voluptatum fugacitatem. Unde S. Augustinus, *Serm. IV de temp.*, ait: « Infelix voluptas, infelicior cupiditas et aique luxuria, pertransitoriam dulcedinem praeparans semperiternam amaritudinem. »

14. — Is qui pro libidine sua, voluptatibus et delectationibus vacat, velut in lecto rosis consperso requiescere existimat, cum tamen acutissimas spinas corpus suum circumvolvatur. Albertus Magnus, *Serm. in Dom. IV Quadr.*, ad juniperum, sub qua magus ille Propheta Dei Elias se recepit, ut dormiret, alludens, ita scribit: « Per juniperum, quae natus habet pro foliis et tamen projicit umbram, intelligitur pungitivi saeculi delectatio. » Paulo post somni illius, quem dicitus Propheta sub hac arbore habuit, mysterium his verbis declarat: « Ille igitur dormit sub umbra juniperi, qui putat quietem et delectationem invenire in spinosis gaudiis hujus saeculi. »

Additio.

a. — Quod autem in spinis, hi sunt qui audierunt, etc. Suam de semente parabolam sic ipse Christus exposuit, bonus suae doctrinae interpret. At in hac explicatione hoc, ut quid rarum venit, quod ipsas voluptates et divitias, spinas homines suffocantes dixerit. Quid enim magis homines recreat quam voluptas et divitiae. Quod et dudum miratus est Magnus ille Gregorius, supra citatus. Et Hieronymus, in *cap. XII*, ait: « Mihi videtur et illud, quod a juxta litteram ad Adam dicitur: *Inter spinas et tribulos panem tuum manducabis*, hoc significare « mystice, quod quicumque se saeculi voluptatibus dedit, curisque istius mundi, panem caelestem et cibum verum inter spinas comedit. » Quis igitur miretur divitias spinas dici, cum haec praesens mortalis vita tribulationibus referta sit, atque inter delicias et voluptates, tribulationes et miseras subministrat: est enim continua quaedam tribulatio? Seriam mereret reflexionem quod scribit

S. Cyprianus, *lib. de bono patien.*: « Dei sententia cogitetur, quam in origine statim mundi et generis humani, Adam praeccepti immemor et datae legis transgressor accepit: tunc sciemus, quia patientes esse in isto saeculo debeamus, qui sic nascimur, ut pressuris istis et conflictationibus laboremus. *Quia audisti, inquit, vocem mulieris tuae, et manducasti ex illa arbore, de qua sola praecipere tibi, ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In tristitia et gemitu edes ea ex omnibus diebus vitae tuae; spinus et tribulos ejiciet tibi. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. Hinc sententiae vinculo colligati omnes et constricti sumus, donec expunxerit morte, de isto saeculo recedamus. » Observare nullo a tribulationibus esse exemplos, nobiles, divites, principes, omnes huic sententiae colligati et constricti sumus. » Subdit deinde idem Sanctus: « In tristitia et gemitu sinus necesse est omnibus diebus vitae nostrae. Edamus panem necesse est cum sudore et labore. Unde unusquisque nostrum, cum nascitur et hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit a lachrymis; et quamvis adhuc omnium nescius et ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate, quam flere; providentia naturali lamentatur. Vitae mortalis anxietas et labores, et procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim cum plorata et gemitu, rudis anima festatur. » Unde qui in limine vitae hujus pedem ponit, si statim videret tribulationes, periculum, peccata, cunctasque alias arumnas, et miseras quas, suo tempore, habebit obvias, pedem profecto retraheret, eligens potius pro hospitio uterum maternum. S. Augustini reflexio est in *Psal. CII*: « Vitam habet anima. » At quo modo? « In corpore corruptibili. Qualem vitam? Oaera patitur, pondera sustinet? »*

VERSUS 16.

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono, et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

1. — Albertus Magnus quoniam vel qualis haec fecunda terra fuerit, sequentibus verbis declarat: « Hoc est, in cor bonum, devotione pingue, lachrymis humidum, doctrina sanctorum completum, gratia irroratum, surculo disciplinae fossum, per confessionem et poenitentiam a malis stirpibus expurgatum, firmo dolorose recordationis peccatorum firmatum, aequalitate virtutis, meditatione sanguinis Christi ad fertilitatem redactum. »

2. — Dionysius Carthusianus, verbum *detinent*, ponderans, ita scribit: « Audiam predicationem memoriter servant, juxta illud in *Psal. CXXIII, 11*: *In corde meo abscondit eloquia tua, ut non peccem*

tibi. » Salmeron similitudinem adducit mundo animalium, quae cibum semel deglutitum, iterum ruminant et dicit: « Ita illi mente revolvant, et recogitent vim et efficaciam verbi Dei. » Albertus Magnus ait: « Audientes inferiori audita, retinent memoria, affectu et operis implentione. » Lucas Bruggensis dicit, *retinere*, idem hic significare, quod vivas profundasque radices agere: « Ita ut nulla tentatione queat evelli, nam et hoc indicatur retinendi voce, non absque lucta et certamine, bonum illud semen asservari, carne scilicet et diabolo agentibus, ut ex animo evellant illud et a fructu impediatur; » idque praecipue dissolutis huius carnis diebus, in quibus ad radicanda e cordibus nostra boni et salutaria salutis promovenda proposita, omnesque alios devolutionis interioris sensus, bacchanalia nos cum omnibus suis irritamentis infestant; demon quoque magis quam alias unquam omnem inferni potestatem adversum nos suscitavit et exerit.

3. — *Fructum afferunt in patientia.* Paulus de Palatio, in *Math.*, a cultura seminis, quod in agro seminatur, transit ad consideranda eorum merita, qui in hac via praesentit, inter adversitates et aerumnas illius, stabiles semper et perseverantes persistent. « Seminare, » inquit, « est jacere semen in terra, id est, in anima, jactum cooperire, in silentio et spe est seminis fortitudo; cooperitum eget pluvia caelestis auxilii, ut e terra prodeat; » natus calamus flagellatur ventis, aquis, frigore, gela, caumate; inde in aream fertur, teritur, ventilatur; intelligis jam quid sit ferre fructum in patientia. » Didacus Stella, in *Luc.*, argumentum quoddam format a minori ad majus, trutinatum enim specialiter labores, sudores, ipsaque temporis longitudinem, quo agricola fructum projecti seminis patienter expectat: « Diu noctuque colendis agris invigilat, nec somno aut corpori parcit, quid tu ut caelesti fruaris fructu facere debes? Unde Jacobus, *IV, 7*: *Ecce agricola patienter expectat fructum terrae.* »

4. — Haec terra, hoc modo industrie cultivata, fructum postea reddit centuplicatum: *Aliud cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum.* Porro terra haec illos praefigurat Christianos, qui huius diebus magna cum patientia ludibria, sannaes et derisiones mundisusinent, quibus subsannantur, eo quod hoc tempore a more mundano sequestrati, magis pie vivant, atque ab illis profanis gaudiis et recreationibus abstineant, quas mundi torrens hodie consecatur. Advertendum est autem, illam terram bonam dici, tum ratione fructus, quia non producit urticas, sentes, spinas; tum quia ligone et aratro proscissa sint, tum denique quia ab omni lolo et zizaniis fuit repurgata. Eodem quoque modo illae anime, quae omnibus se voluptatibus et deliciis, quae per spinas denotantur, sponte privant,

suave corda per ligonem seu aratrum mortificationis ab omni inordinato appetitu expurgant, haec, inquam, sunt, quae ingentem bonorum sanctorumque operum fructum referunt, quaeque Deo, qui hoc tempore a majori fidelium numero totaliter deserit, gratissime acceptissimaeque existunt.

5. — Porro differentia quae est inter illos, qui seminant zizania, quae ignis pabulum existent et inter alios, qui frumentum seminant, quod in caeli granario accipitur et custoditur, ab Apostolo huius, *Gal., VII, 7, 8*, verbis nobis insinuat: *Nolite errare, Deus non irredibit, ecce enim, quae seminauerit homo, haec et metet;* quibus verbis declarat nobis, quoniam futura sit messis quae ab illis colligetur, qui bacchanaliorum amatores segetes, et quae quam amplae futurae sint eorum segetes et manipuli, qui ab illis percipiuntur, qui huius temporibus magis quam unquam in Christi sequela patientes et perseverantes permanebunt. *Quoniam qui seminavit in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminavit in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam,* ac proinde pergit Apostolus, nos ad habendam patientiam et perseverantiam consequendam fideliter exhortari, dum ait: *Bonum autem facientes non desistimus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Praeterea semen non subito postquam seminatum est, fructum profert, sed suo tantum tempore; primo enim subitas terram reconditur; ibidemque marcescit, omnibusque aeris injuriis expositum manet. Idem pariter accidit illis, qui huius diebus patientiam habent, occupando sese assidue in exercitiis devotionis, modo nihil quidem aliud videtur, quam assiduis illi a mundi praesentibus vanitatibus solitariis recessus, illa quadraginta horarum frequentata oratio, illae ad septem urbis ecclesias instituta peregrinationes, illa a recreationibus mundanis etiam licitis et honestis constans sequestratio, nihil, inquam, nunc videtur amplius; at vero suo tempore Deus dabit, ut omnium illorum in nobis experiamur meritum et fructum, quando scilicet vires nobis dabit, quibus inimici tentationibus resistere valeamus, quando item donum concedet perseverantiae, vel etiam nos faciet hoc vel illud evadere periculum, sive mortis, sive alterius cujuslibet gravis infirmitatis, in quod alias utique lapsuri fuissetis. In vita magni illius servi Dei, Joannis Baptistae de Fulgino, legitur, quod cum per quinquaginta annos majorem partem moribundorum illius civitatis in puncto mortis confosset, observavit frequenter et fere ut plurimum, quod qui in feria quinta, ante Dominicam Quinquagesimae communicaverant, omnes ex hac vita cum magna spe salutis suae emigrarint.

6. — Etenim fructus ille, qui ab anima quae huius diebus semen hoc caeleste in se perire non permittit, producitur, adeo est gratus et acceptus, ut Apostolus ad Romanos, *XII, 1, 2*, scribens, illum

sacrificii merito comparari; dicit enim: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*, quod autem ipsum hisce diebus, per devotiores animas, torrentem mundi in consecrandis vanitatibus modernis non sequentes, adimpleri Apostolus dicere voluerit, ex eo colligi videtur, quia immediate post dicit: *Et nolite conformari huic saeculo*, ubi Lyranus ait: « Id est, delectabilibus « hujus mundi; » et Hugo Cardinalis adjungit: « Quia mundus, caro, daemonia, diversa movent « praemia. »

7. — Quantopere vero sacrificium istud Deo gratum sit, ex uniuscujusque verbi, in praedicta sententia Apostolica contenti, pondere deducere licet; dicit enim in primis: *Ut exhibeatis*; ubi Interlinearis ait: « Licet caro repugnet. » Dicit postea: *Corpora vestra*; at vero ut Glossa ait: « Homo in « quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium « est, corpus enim nostrum cum temperantia casti- « gamus, si hoc propter Deum facimus, sacrificium « est. » Addit deinde: *Hostiam*, corpus autem nostrum, ut Glossa Interlinearis inquit, tum velut hostiam exhibemus, dum id facimus « in mortificatione « carnalium desideriorum. » Subdit: *Viventem*, id quod hisce diebus facimus, dum carnem nostram cum vivaci, seu vivo illius dolore et sensu mortificamus. Sequitur *sanctam*, id est, ut Glossa Interlinearis exponit: « In bonis firmam: *Haec est « voluntas Dei, sanctificatio vestra.* » Et quidem quomodo ex carne nostra hostiam sanctam efficere possimus, idem Apostolus nos in alio quodam loco optime docet, dicens: *Ut abstineatis a fornicatione, non enim vocavit vos Deus in immunditiam.* Dicitur insuper: *Deo placentem*; id quod nullo tempore commodius quam hisce diebus vanis et lascivis fit, nunquam enim gratis Deo obsequium, per abstinentiam a vanitatibus praestare possumus, quam hoc tempore, quo etiam major pars timoratorum hominum, licitum sibi esse putat, nonnihil relaxari et animum in hilaritatibus recreare. Concludit denique: *Rationabile obsequium vestrum*; id quod hoc tempore vel maxime fieri potest, nullo enim tempore nos ejus gratis digniores et capaciores facere possumus, per assiduitatem in divino servi-

tio, quam nunc, dum Deus a majori hominum parte, servitio suo destituitur; ad eum fere modum, quo proceres aulici et ephebi, tunc vel maxime et Regis benevolentiam et favorem sibi conciliant, quando eo tempore illius servitii et obsequii diligentissime vacant eique indissolubliter adherent, quo ab aliis acriter et petulantem contemnunt et deseritur. Sic enim David Berzelai Galanditi regiam suam benevolentiam familiarissime obtulit, II Reg., xix, 33, dicens: *Veni mecum, ut requiescas mecum in Jerusalem*; imo regiam suam mensam, aliosque ingentes regio favores generose eidem obtulit, quia eidem David tunc praecipue regia fereula et alimoniam, aliaque subsidia obtulit, quando persecutionibus infestabatur: *Ipse praebuit alimenta Regi, dum moreretur in castris, traduxit Regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum.* Maxima autem persecutio, quae contra Christum et ejus legem instituitur, est illa, quam hoc tempore per tot lascivias, dissolutiones, aliasque turpitudines, Christiano homine indignas patitur.

Additio.

a. — *Qui autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono et optimo, audientes verbum, etc.* Pulchre Cajetanus ait: « Non sufficere cor honestum et « utile nisi adsit patientia in sustinendo adversa et « incurias quascumque, edocet Dominus a similitu- « dine terrae, quae quantumvis optima, non affert « fructum, nisi patiendò aratrum et similia. » Non sufficit tantum ut terra sit bona ad fructum ferendum, sed insuper necessarium est, ut aratro praecisa in varios sulcos deducatur; sic etiam non sat est, quod quis recto corde Dei verbum suscipiat, sed insuper opus est laborum tolerantiam et sustinentiam, ut fructum producat. Patientia enim lapis lydius est, ad quem vera virtus et spiritus comprobatur. V. Beda, super illa Christi verba: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, ita scribit: « Id- « circo possessio animae in virtute patientiae poni- « tur, quia radix omnium, custosque virtutum « patientia est. Per patientiam vero possidemus « animas nostras, quia cum nobis ipsis dominare « discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod « sumus. »

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

EVANGELIUM LUC., CAP. XVIII, VERS. 31

31. Assumpsit Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.
32. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur.
33. Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.
34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur.
35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, caecus quidam sedebat secus viam, mendicans.
36. Et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat quid hoc esset.
37. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazareus transiret.
38. Et clamavit dicens: Jesu, fili David, miserere mei.
39. Et qui praebant, increpabant eum ut taceret, ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.
40. Stans autem Jesus, jussit illum duci ad se, et cum appropinquasset, interrogavit illum dicens:
41. Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.
42. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit.
43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum; et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Versus 31.

Assumpsit Jesus duodecim et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.

1. — Redemptor noster Apostolus ex passione et morte sua perturbandos esse praevidens: « Prae- « dicit et passionis penam et resurrectionis glo- « riam, » inquit Glossa, « ut cum morientem cer- « nerent, resurrecturum non dubitarent. » Auctor Imperfecti, *Hom. xxxvi*, addit: « Ut ab exitu « cognoscatur praesentia ejus; ex praesentia autem « ejus divinitas cognoscat. » S. Cyrillus dicit, Apostolus ex hac praedicatione mortis suae anticipata intelligere perspicue potuisse, quod ad eandem se propria voluntate offerret et praesentaret: « Ne « dicerent, qualiter in manus hostium incidit, qui « nos promittebat salvare; unde seriatim ordinem « passionis narrat. » Idem quoque Theophylactus scribit, simul tamen aliud quoddam hujus praedictionis addendo motivum: « Ut doceat eos breviter « ferre, quae eventura, utpole qui ante audiverint. »

Ecce ascendimus.

2. — « Qui passionem suam, » inquit Albertus

Magnus, « ascensionem esse reputavit, » id quod pariter S. Mater Ecclesiae confirmare videtur, nam in vigilia Ascensionis utitur Evangelio desumpto ex novissimo sermone, in ultima caena ad discipulos a Christo habito, quem S. Joan. in Evangelio suo, xvii, 4, recenset, in quo Filius, ad Patrem suum conversus, dicit: *Pater clarifica Filium tuum*, ex quibus verbis deducitur, quod suspensionem suam in pabulum crucis, exaltationem, illustrationem et clarificationem suam appellet; ac proinde S. Leo de Christo, ad Calvariae montem egrediente, tractans, *Ser. x de Passion.*, ita scribit: « Emte itaque ad « locum clarificationis suae Domino. » Similiter Juda traditore e caenaculo egrediente: « Nunc cla- « rificatus est Filius hominis et Deus clarificatus « est in eo; » ubi S. Bernardus, *Ser. iv in Cant.*, ait: « Gandet et tripudiat, exultat et letatur et ait: « Nunc clarificatus est Filius hominis. »

Consummabuntur omnia, etc.

3. — S. Bonaventura, in *Luc.*, ait: « In quo « apparet mira profunditas mysterii Passionis « dominicae, pro eo, quod in ipso est consummatio « totius revelationis prophetae. »

4. — Porro causa, cur Ecclesia a Spiritu Sancto directa nobis hoc Evangelium proponat, mundanis gaudiis, quae hodie in summo gradu vigent, haec